

in quibus non solent missae pro defunctis celebrari. Insuper idem altarista, qui sic regit per ebdomadam, singulis dominicis diebus missam de sancta trinitate, feriis quintis de corpore Christi et sabbatis de beata virgine cantando ad dictum altare debeat solempniter celebrare, ita quod huiusmodi vigiliae ante inceptionem vesperorum et missae ante pulsum campanae ad primam, quae longa vocatur, diebus singulis sint finitae, et alius altarista, quem non tangit regimen per ebdomadam praefatis tribus diebus, videlicet dominicis quintis et sabbatis missam pro defunctis ad dictum altare in medio chori celebrabit infra horas, quando velit. Ceterum ius patronatus dicti altaris praedictus dominus marchio sui que heredes et successores perpetuo obtinebunt, qui quotiens vacare contingat ad id praesentare debeant personas idoneas iam actu presbyteros, vel qui adstatim possint in presbyteros ordinari; si collatio secus fieret, illa nullam habere debeat roboris firmitatem, et extunc collatio ad canonicos et capitulum ecclesiae Misnensis libere devolvi debeat, qui tunc de discretis rectoribus eidem altari debeant providere. Praedicti vero altaristae sub obedientia decani Misnensis erunt, qui ad id instituere debeat praesentatos. Sed ad visitationem chori non astringantur, nisi ex spontanea voluntate chorum visitare voluerint, quod ipsorum arbitrio omnino relinquatur, prout de his omnibus sunt praefati domini marchionis litterae et privilegia continentiae plenioris. Supplicavit nobis idem dominus marchio, quatenus erectionem — altaris antedicti ac ordinationem praemissam ratificare et approbare ac dictum altare et redditus ipsius ecclesiastici beneficio tituli et iuris praesidio insignire ac nostra auctoritate ordinaria confirmare dignaremur. Nos igitur episcopus Misnensis antedictus — votivis supplicationibus favorabiliter inclinati praedicti domini marchionis et potissimum salutare propositum eiusdem in domino plurimum collaudantes, foundationem — et ordinationem — ratificavimus ac tenore praesentium in dei nomine confirmamus — statuentes, rectores altaris saepedicti, qui pro tempore fuerint, ad observationem missae perpetuae in dicto altari instauratae singulis diebus per se ipsos vel per alios astrictos et obligatos fore etc. Et ut praemissa nostrae confirmationis auctoritas inconvulsa et integra servetur — sigillum nostrum autenticum praesentibus duximus appendendum. Datum Misnae anno domini millesimo quadringentesimo quinto mensis Aprilis die duodecima.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grösseren Siegel des Bischofs und dem kleineren als Rücksiegel an einem Pergamentstreifen.

No. 780. 1405. 20. Mai.

*Markgraf Wilhelm übernimmt im Einverständniss mit den Executoren des Testaments des Decans Nic. von Aldenburg für sich und seine Regierungsnachfolger das Collaturrecht der vier von diesem gestifteten Vicarien zu grösserer Sicherung derselben vor ferneren Beeinträchtigungen.*

Nos Wilhelmus dei gratia marchio Misnensis, Thuringiae lantgravius et comes Saxoniae pallatinus recognoscimus — quia venerabilis dominus Nicolaus de Aldenburg, decanus ecclesiae Misnensis bonae memoriae olim dum ageret in humanis — duo altaria in ecclesia Misnensi in latere sinistro pro quatuor vicariis ad omnipotentis dei gloriam de novo dotavit et instauravit taliter ordinando, quod deinceps perpetuis